

partim aliis tractibus uni et alteri Provinciarum particularium adunitis, a solita Regni dispositione licenciose exigit, donec ad extremum Comitatus etiam Sclavoniae, tam cameralibus quam et militaribus officialibus, praejudiciose, et sub forma praedocinii subtractis, transformata Religionis specie, cum haereditariis suis coalescere faciat. Palam est praejudiciosa generalituum, Varasdinensis et Carolostadiensis, acta dudum a gubernio Regni avulsio, tota damnosa omnium malorum scaturigo, ut post scissas regni vires non restet aliud, quam praesidiatis jam exera natione Patriae fortalitiis, ludibrios pro hac libera gente fraeno coercitis, absoluto Provinciae dominantur jure. Quanta hic inter populum divisum emergit seditionis materies! quot violenti extorsionum excessus! largiori deductione haud indiget; adulari eum oporteat, necesse est, qui militaria penes Regnicolas officia manere subinferat; subripiuntur opinione per externos dignitates, ut vacuas periculique plenas Regnicolis linquant; ac dum integre perque inique solitis hujusmodi illecebris subditorum sibi animos infascinant, nonnisi graves Regno curas, ingentemque portionalia tributa exaequantem pro tuendis praesidiis nationalibus profundendarum expensarum molem ex composito causant. Quis non videat speciosam Comitatum jurisdictionem praescitis subterjacentem Generalibus? interjacent vici contigui mixtim; hos tamen Regno obsequiosos multumque oneratos premi, alios vero juribus suis sub violenta protectione immerito frui, ac in rebus etiam politicis a Regni jure praejudiciose eximi; non nisi dividere in diversa, vires ut vincant et regnent, est res intentionis praecognitae. Multilata est, si verum fateri volumus, prisca dignitatis Banalis autoritas, et cui quondam per integrum quaque patet trium Regnorum complexum pleno fungi jure licuit, nonnisi intra circumscriptos totidem Comitatum cancellos adeo coarctorum conspicimus, ut solum dumtaxat coloratum tantae dignitatis titulum superesse doceamus. Regnat Camera praetextuosis variarum extorsionum actibus, ac prout in principali Hungariae Regno, nec secus in Provinciis ejusdem solitam juris nequisiti exercet tyrannidem. Longum foret, ruinarum patriae exprimere statum; nulla enim constitutionum Regni decreta statutaque regionum diplomata, conditiones, si cui pervolvere lubeat, sine Austriaca praevaricatione salva supermansisse aequa liquescet trutinio. Convertite, inclyti Status ac Ordines fractos tot malis animos per Austriacos, tot heroica gloriosi Nominis Stemmata; ubi Zrinii celebrata toto orbe gentis vestrae gloria? ubi Frangepani stabiles quondam pro defensione patriae Columnae? non quievit praeconcepla in Austriacis Despotici imperii libido, donec Primores Regni procerum (ut violentam nuperam Drascovicii mortem praetereamus) jugi gloria perennaturos dulcissimae Patriae faceret Martyres. Ast ne innocentiae nostrae quoque Austriacam evitare austeritatem licuerit, dum commissionali tot legibus Regni vetito judicio subjectae immanem jam mortem (nisi rata Dei benignitas liberos non esse visisset) odiose decreverat. Quis luculentam hanc Austriaci regiminis, diplomata sua pro libitu violentis, iniquitatem ferat ulterius? favet aether, certissimaque concurrentibus exterorum Principum foederibus, redintegrandae a jugo genti liberae, sese offert occasio. Succurrite itaque justae causae, Inclyti Status et Ordines, conjunctis animis, ac dum omnem a nobis dominandi ambitionem (teste triuno Deo) longe abesse, totamque dulcissimae Patriae causam felici eventu terminandam assumpsisse credere eosdem volumus, nec secus ad fidelitatem labenti Patriae consecrandam, conjungendaque cum exercitiis nostris arma permanenter ac serio commonefacimus. Quod si